

Colosseum und Circus Maximus

Mart. Spect. I.:

Barbara pyramidum sileat miracula Memphis,
Assyrius iactet nec Babylona labor;
nec Triuia templo molles laudentur Iones,
dissimulet Delon cornibus ara frequens
aere nec uacuo pendentia Mausolea 5
laudibus inmodicis Cares in astra ferant.
Omnis Caesareo cedit labor Amphitheatro,
unum pro cunctis fama loquetur opus.

Mart. Spect. XXI.:

Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro
dicitur, exhibuit, Caesar, harena tibi.
Reperunt scopuli mirandaque silua cucurrit,
quale fuisse nemus creditur Hesperidum.
Adfuit inmixtum pecori genus omne ferarum 5
et supra uatem multa pependit auis,
ipse sed ingrato iacuit laceratus ab urso.
Haec tantum res est facta [*par' 'istorian*].

Mart. Spect. XXVIII:

Augusti labor hic fuerat committere classes
et freta nauali sollicitare tuba.
Caesaris haec nostri pars est quota? uidit in undis
et Thetis ignotas et Galatea feras;
uidit in aequoreo feruentes puluere currus 5
et domini Triton isse putauit equos:
dumque parat saeuis ratibus fera proelia Nereus,
horruit in liquidis ire pedestris aquis.
Quidquid et in Circo spectatur et Amphitheatro,
id diues, Caesar, praestitit unda tibi. 10
Fucinus et diri taceantur stagna Neronis:
hanc norint unam saecula naumachiam.

Plin. Epist. 9,6:

C. PLINIUS CALVISIO SUO S.

1 Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi.
'Quemadmodum' inquis 'in urbe potuisti?' Circenses erant, quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nihil novum nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. 2 Quo magis miror tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla; nunc favent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitadores illos equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina relinquunt. 3 Tanta gratia tanta auctoritas in una vilissima tunica, mitto apud vulgus, quod vilius tunica, sed apud quosdam graves homines; quos ego cum recordor, in re inani frigida assidua, tam insatiabiliter desiderare, capio aliquam voluptatem, quod hac voluptate non capior. 4 Ac per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. Vale.

Ov. Ars. 135-152 (zum Circus: 135-228):

Nec te nobilium fugiat certamen equorum;	135
Multa capax populi commoda Circus habet.	
Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris,	
Nec tibi per nutus accipienda nota est:	
Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto,	
Iunge tuum lateri qua potes usque latus;	140
Et bene, quod cogit, si nolis, linea iungi,	
Quod tibi tangenda est lege puella loci.	
Hic tibi quaeratur socii sermonis origo,	
Et moveant primos publica verba sonos.	
Cuius equi veniant, facito, studiose, requiras:	145
Nec mora, quisquis erit, cui favet illa, fave.	
At cum pompa frequens caelestibus ibit eburnis,	
Tu Veneri dominae plaude favente manu;	
Utque fit, in gremium pulvis si forte puellae	
Deciderit, digitis excutiendus erit:	150
Etsi nullus erit pulvis, tamen excute nullum:	
Quaelibet officio causa sit apta tuo. [...]	